DE

VETERUM PRUTENORUM DIIS

DISSERTATIO HISTORICA CRITICA

QUAM

SCRIPSIT

IOSEPHUS BENDER
PHILOS. DR. ET PROF. PUBL. ORD.

BRUNSBERGAE

APUD I. R. HUYE

1865.

In tractanda cum universa historia Prussica antiquiore tum ea parte, quae ad gentis originem, mores, deorumque cultum spectat, quantum critica inquisitione opus sit, neminem eorum fugit, qui fontes antiquiores Prussiae historiae quam sint rari, iidemque vel leves vel suspecti, accuratiore cura perpenderint. Quemadmodum plerumque fontes medii quod vocant aevi ita comparatos esse facile intelligitur, ut omnes scriptores, qui unam eandemque rem tractant, ad unum etiam fere primarium fontem tandem redeant, ita etiam scriptoribus rerum Prussicarum duo quodammodo choragi praesunt, quos ceteri tamquam asseclae, ducem suum quique aut verbis mutatis repetentes aut amplificantes aut continuantes, bona fide secuti sunt. Alter aetate multo antiquior Dusburgius [1], Ordinis Teutonici sacerdos, est, qui praecipua fide apud nostros gaudet; alter aliquot seculis post exstitit famosus ille monachus Simon Grunovius [2] Tolkemitanus, qui, mutatae a M. Luthero religioni Christianae adversarius, Ordini Teutonico tum temporis a pristina morum integritate admodum recedenti atque a fine laudabili, qui ei olim propositus fuerat, prorsus remoto, inimicissimus, Polonis, quos rebus novis sibi invisis solos mederi posse sperabat, studiosissimus, novam historiae patriae suae narrandae viam sibi muniens, et hac re et nimia incuria et credulitate, qua res vel antiquioribus scriptis vel traditione acceptas tractaverit, apud plerosque, qui nostris diebus historiam Prussicam scripsere, in maximam venit contemptionem.

---

[1] Petrus de Dusburg fere aequalis historiam annorum 1288—1299 scripsit. Chronicon suum Prussiae (nuper editum a M. Toeppen in Scrpptt. Rer. Pruss. T. I.) 1326 absolvit.

[2] Simon Grunovius (Grunau), Frater Ordinis Praedicatorum Gedani, scripsit circa initium sec. XVI. Chronicon eius, Germanice scriptum et circa annum 1526 absolutum, typis nondum exaratum est. Cf. Toeppen, Historigraph. Pruss. p. 122. seqq. Usi sumus libro manuscripto, qui in Biblioth. Reg. Regimontana asservatur (MS. 1550 a).

Dusburgius omnium historicorum usque ad Grunovium fere unus est fons; Grunovio omnes, qui post eum historiae Prussicae tradendae operam navabant, licet interdum de fide eius dubitantes, sunt usi.

In universum quid nos de fide Grunovii iudicandum esse arbitremur, hoc loco, quum de deorum apud Prutenos cultu critice tractare nobis in animo sit, proponere argumentisque probare supersedere possumus, quia tertium de ea re, quam nunc tractaturi sumus, fontium genus adest, quod et consilium nostrum in universum admodum adiuvat et Grunovium in narranda religione Prutenica saltem non omnino figmenta sui ingenii protulisse probat, sed ea scriptis mandasse, quae ipse vel legendo vel audiendo acceperat, etiamsi suo more reliquias antiquitatis vel per se obscuras, vel disiectas, vel difficiles intellectu, uberius explicare, dilatare atque vel ex suo iudicio vel ex iis illustrare eum studuisse infitias iri nequeat, quae ex aliarum gentium historia antiqua novisset. Tertium hoc fontium genus constat membris quodammodo disiectis, hinc illinc ex diplomatis singulisque aliquot librorum locis repetendis, quae quanti momenti sint narrationes Grunovianae de deorum cultu apud Prutenos, si maxime originem et rem, non explanationem spectaveris, abunde probant. Nihil itaque in rem nostram a Grunovio repetemus, quod non aliis argumentis, qualia modo indicavimus, fulcire et munire potuerimus, qua consensione et rem ipsam probabiliorem factum iri speramus et futurum esse, ut Grunovii auctoritatem fidemque in his rebus non omnino reiiciendam esse, aut saltem non ipsius culpa falsa tradita esse, iudicetur.

Ad cognoscendas veterum gentium universarum de diis opiniones quantus fructus redundet, si usitati quidam et a maioribus accepti mores, superstitiones antiquae per populum fusae neque adhuc exstinctae, instituta maiorum, dies quidam gentili modo et clandestino solemniter acti, certi loquendi modi, sententiae et proverbia, aliaeque ex vita hominum communi repetitae consuetudines ab antiquis traditae sedulo colligantur, acriter iudicentur, recte explicentur, nostrae aetatis mythologi, maxime qui gentium septentrionalium religioni cognoscendae studuere, affatim demonstraverunt. Nominibus quoque temporum, personarum et locorum iidem maximo cum fructu ad rem suam usi sunt. Quum quod certi de opinione deorum apud veteres Prutenos scimus parum sit, quumque apud eos diutius

tales consuetudines, quales modo indicavimus, viguerint, quam apud alias gentes, linguaque ipsa Prutenica, quantum eam ex paucis reliquiis [3]), eqne comparatione lingnae Lituanicae proxime ei cognatae cognoscimus, antiquitatis redoleat indolem, incommutabilemque conservaverit statum: nos illorum, qui res mythologicas aliarum gentium scripserunt, exemplum secuti, libentissime eiusmodi res amplectentes, in nostrum usum convertemus.

Tractaturis de veterum Prutenorum religione traditionum de ea re genera nobis erunt distinguenda aetatibus. Tres igitur statuimus aetates: quarum prima versatur in antiquissimis gentis temporibus, quibus etiam florebat imperium Romanum. De hoc religionis principali statu prorsus nihil comperimus, nisi quae Tacitus de Aestyis, qui sunt Prutenorum maiores, breviter refert. — Altera aetas, de qua primarius scriptor Dusburgius est, complectitur divini cultus rationem, qualis erat tempore, quum Ordo Teutonicus gentiles huius terrae incolas subiecit, eosque doctrinam Christianam docuit. — Ad Dusburgium interpretandum maximum usum afferunt et nonnulla vetera diplomata et fabellae quaedam populares, de quibus una cum hoc scriptore tractabimus. — Tertium genus consistit traditionibus, quas Grunovius tempore mutatae in Prussia religionis literis mandavit.

Praeter hos quidem alii etiam exstitere scriptores cum Grunovio fere aequales, qui data occasione de religione Prutenorum agunt. Etenim Georgius a Polentz, quondam episcopus Sambiensis, primus in praefatione Agendae Ecclesiasticae anno 1530 editae indicem deorum gentilium, sibi notorum, contexuit, numini cuique Pruteno nomen addens e Graecorum Romanorumve mythologia petitum, non autem, quod a consilio eius aberat, via et ratione de iis disserens. Quod dolendum est; nam illo tempore superstitiones non paucae maxime in remotioribus Prussiae regionibus etiam exstitere. A Georgio a Polentz hunc indicem alii pure receperunt, uti Ioh. Meletius 1551 (De

[3]) Servatus est M. Lutheri Catechismus, quem Albertus dux Prussiae in lingnam Prussicam conversum edi iussit primum 1545; repetitus est nostris diebus a viris doctiss. Vater 1821 et Nesselmann 1845, quorum libris inscriptum est: „Die Sprache der alten Preuszen“. Praeterea singula vocabula, nomina propria et personarum et locorum permulta ad nos venerunt.

idololatr. vet. Pruss.), Lucas David c. 1570 (Chron. Pruss.), Alex. Guagnini 1584 (Sauromat. Europ.) Matth. Waissel c. 1590 (Chron.). Hi autem scriptores fere tantummodo res Sambiae remotiorumque regionum, uti Lituaniae, respiciunt, praebentes eam religionis Prutenicae speciem, quae ab eius genere, quale in regionibus magis ad occidentem sitis cognoscitur, prorsus aliena atque diversa sit. Revera igitur non solum temporibus discernenda esset materia, sed etiam locis. Nos autem illum nominum indicem, quippe qui nec Grunovio (nedum Dusburgio) notus fuerit, neque immo ex Grunovio haustus sit, neque omnino aliquo cognationis vinculo cum nostris fontibus cohaereat, sed potius ab iis et temporum et locorum differentia alienus esse videatur, ideoque separatim tractandus esset, ab hac dissertatione prorsus excludimus, ne dilatis propositi nostri finibus in campum longius latiusque patentem excurramus [4]). Revertamur igitur ad consilium nostrum, in Dusburgii et Grunovii critica insistentes, Tacito tantum obiter attacto.

Primum igitur videamus quae ex Tacito proficiamus. „*Aestyorum gentes*, inquit (Germ. c. 45),...*quibus ritus habitusque Suevorum; lingua Britannicae propior. Matrem Deûm venerantur. insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis omnique tutela: securum Deae cultorem etiam inter hostes praestat*". Apros et hircos apud Germanos vicinasque gentes inter hostias fuisse notum est. Aper deo Germanorum Freyr sive Frô, capella et hircus deo Thôr sacri fuere. Formas aprorum noverant gestabantque etiam gentes septentrionales Sueciae et Angliae. Mater deorum, coniux Wodani sive Odini summi dei, apud Germanos Freyja est, cui carmen Edda attribuit *gullinbursti* i. e. aureum setigerum sive aprum [5]). De hac re praeter alios conferendus est liber de mythologia Germanorum notissimus Iacobi Grimmii, uberius hic illic hanc rem tractantis, quae quid ad nostrum propositum faciat, infra per occasionem indicabimus.

---

4) Aliquoties hunc indicem, quum eum citare opus fuerit, brevitatis caussa Catalogum Sambiensium nominabimus.

5) Othinum Saxo Gramm. lib. II. nominat „horrendum Friggae maritum". Frigga sive Fricca alia forma est pro Freyja; ita Adamus Brem. etiam pro deo Freyr, fratre Friccae, posuit Fricconem. Freyr et Freyja eorumque proprietates viresque saepissime confunduntur.

Dusburgii, quum non in omnium manibus sit, locos praecipuos capitis, quod de religione veterum Prutenorum agit, hic transscribere liceat.

„De ydololatria et ritu et moribus Pruthenorum“ (l. III. c. 5).

„Prutheni noticiam dei non habuerunt.... ideo contigit, quod errando omnem creaturam pro deo coluerunt, scilicet solem, lunam et stellas, tonitrua, volatilia, quadrupedia eciam usque ad bufonem. Habuerunt etiam lucos, campos et aquas sacras, sic quod secare aut agros colere vel piscari ausi non fuerant in eisdem. Fuit autem in medio nacionis huius perverse, scilicet in Nadrowia, locus quidam dictus Romow, trahens nomen suum a Roma, in quo habitabat quidam, dictus Criwe, quem colebant pro papa[6]*, quia sicut dominus papa regit universalem ecclesiam fidelium, ita ad istius nutum seu mandatum non solum gentes predicte, sed et Lethowini et alie naciones Lyvonie terre regebantur. Tante fuit autoritatis, quod non solum ipse vel aliquis de sanguine suo, verum eciam nuncius cum baculo*[7] *suo vel alio signo noto transiens terminos infidelium predictorum a regibus et nobilibus et communi populo in magna reverencia haberetur. Fovebat eciam prout in lege veteri jugem ignem. Prutheni resurrectionem carnis credebant, non tamen, ut debebant. Credebant enim, si nobilis vel ignobilis, dives vel pauper, potens vel impotens esset in hac vita, ita post resurrectionem in vita futura. Unde contingebat, quod cum nobilibus mortuis arma, equi, servi et ancille, vestes, canes venatici, et aves rapaces, et alia, que spectant ad miliciam, urerentur. Cum ignobilibus comburebatur id, quod ad officium suum spectabat. Credebant, quod res exuste cum eis resurgerent, et servirent sicut prius. Circa istos mortuos talis fuit illusio dyaboli, quod cum parentes defuncti ad dictum Criwe papam venirent, querentes, utrum tali die vel nocte vidisset aliquem domum suam transire, ille Criwe et disposicionem mortui in vestibus, armis, equis et familia sine hesitacione aliqua ostendebat, et ad maiorem certitudinem ait, quod in superliminari domus sue talem fixuram cum lancea vel instrumento alio dereliquit.... Prutheni raro aliquod factum notabile inchoabant, nisi prius*

---

[6]) Haec interpretatio nominis Romow quam sit inepta apparet. Apud Nicol. a Ieroschin, loco cum Dusburg. correspondente (Scr. R. Pr. I. p. 348), Criwe nominatur „der obriste êwarte“ i. e. sacerdos, proprie custos legis (êwa, lex).

[7]) De significatione eiusmodi baculorum v. Eckermann, Mythol. IV. 2. p. 17.

missa sorte secundum ritum ipsorum a diis suis, utrum bene vel male debeat eis succedere, sciscitentur.... Pro potu habent simplicem aquam et mellicratum seu medonem, et lac equarum, quod lac quondam non biberunt, nisi prius sanctificaretur. Alium potum antiquis temporibus non noverunt..... Aliqui equos nigros, quidam albos vel alterius coloris propter deos suos non audebant aliqualiter equitare".

Caput vere memorabile, ad quod omnis de hac re inquisitio redire debet! Tres potissimum opiniones, quae eo continentur, accuratiore contemplatione indigent. Prima est principalis de deorum natura persuasio, altera de dominatu in populum sacerdotali, tertia de animarum post mortem statu.

Dusburgio igitur teste religionem veterum Prutenorum e naturae rerumque quas natura gignit consideratione et contemplatione ortam atque omnem in naturae cultu positam fuisse iudicandum est. Atque tam puro simplicique sensu ab initio omnia animalia et inanima quae oculis cernebant contemplati veneratique esse videntur, ut iis quae sensibus percipiebant neque certam speciem induerent neque propria nomina imponerent. Postea nimirum — et quidem non nisi in Catalogo Sambiensium et apud scriptores rerum Lituanicarum, Letticarum et Esticarum — non pauca nomina deorum occurrunt, sed sunt ea omnia, quantum quidem etiamnunc intelligi possunt, nihil nisi vocabula, quibus quasque res proprie appellabant, aut dictiones variae, quales gentes, quae cum natura convenienter vivunt et ideo poëtico quodam animi vigore praeditae vividiore utuntur oratione, usurpant. Ad has autem gentes Prutenos cum Lituanis referendos esse non est dubium, qui secreti a cultioribus populis ad litora maris ventorum vi agitati atque turbati regiones longe lateque planas, silvis lacubusque abundantes, omnino ad naturam accommodati omniaque ad eam referentes, incolebant. Lituani suum habent etiamnunc poësis genus — cantilenas populares, quae nominantur *Dainos* — quod indolem gentis quam indicavimus testatur; neque est mirum, quod apud hanc gentem omnes fere res etiam vilissimas in divino honore habitas esse traditum est [8]).

---

8) Ne porci quidem ac sues, neque apes, neque agnelli, neque equi, nec musci in silvis, neque avellanae, neque omnis supellex domestica, al., suis egebant diis. „Deorum tantus pene est numerus, quantus Graecorum apud Hesiodum", dicit Lasicius Polonus (De Diis Samagitarum, 1615, p. 46),

Praeter hunc cultum rerum naturalium alia res in Prutenorum religione longe gravissima est, scilicet imperium sacerdotale — a Dusburgio cum ἱεραρχίᾳ ecclesiae Christianae comparatum —, quo omnes tenebantur. Sicuti ille cultus naturae maximam similitudinem habet cum Germanorum more, quem etiam Iul. Caesar commemorat, ita hic dominatus sacerdotum, quibus unus praeest, qui summam inter eos habet auctoritatem, Druidum affert memoriam Gallorum, quorum disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur [9].

Quod Dusburgius tradit, „*Prutenos resurrectionem carnis credidisse*“, id non minus sacerdotum disciplina contentum esse, uti apud Druidas, quam etiam in omnium animis insedisse videtur. Quantopere Pruteni ad tristem rerum humanarum contemplationem propensi fuerint, quo animo secum statum hominis post mortem apud inferos reputaverint, qua cura de sorte suorum post mortem certiores fieri studuerint, cum ex Dusburgii loco, quem laudavimus, apparet, tum aliis etiam argumentis demonstrari potest.

Exstat multo antiquius Dusburgio documentum de percontatione sortis mortuorum per sacerdotes instituta, scilicet diploma [10] illud gravissimum de composita anno 1249 inter Ordinem Teutonicum et Prutenos neophytos pace, quo inter alia Pruteni promiserunt: „*quod ipsi uel heredes eorum in mortuis comburendis uel subterrandis cum equis. siue hominibus uel cum armis seu vestibus uel quibuscunque alijs preciosis. uel eciam in aliis quibuscunque ritus gentilium de cetero non seruabunt. Sed mortuos suos iuxta morem christianorum in cymiteriis sepelient et non extra*“.... „*Promiserunt eciam quod inter se non habebunt Tulissones uel Ligaschones. homines videlicet mendacissimos histriones.*

---

qui de hac re uberius tractat. Bufonum cultum Dusburgius testatur. Memorabile est, quot hodieque cognomina ignominiosa a bufonibus petita in ore nostri vulgi sint. Cf. Rosenkranz, Königsberg. Skizzen. I. p. 147.

9) Caes. B. G. VI. 21. „Germani deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt“. Tacit. Germ. 45 de Aestyis: „quibus ritus habitusque Suevorum“. Multi ritus moresque, quos Dusburgius testatur, uti missa sors, cum Germanorum conveniunt. De Druidibus v. Caes. VI. 13. 14. cf. Tac. 2. c. „lingua Britannicae propior“!

10) V. Woelky et Saage, Cod. diplom. Warm. I. nr. 19.

qui quasi gentilium sacerdotes in exequiis defunctorum ve tormentorum infernalium promerentur [11]) . *dicentes malum bonum et laudantes mortuos de suis furtis et spoliis. immundiciis et rapinis ac aliis viciis et peccatis. que dum viverent perpetrarunt. ac erectis in celum luminibus exclamantes mendaciter asserunt se videre presentem defunctum per medium celj volantem in equo. armis fulgentibus decoratum nisum* [12]) *in manu ferentem et cum comitatu magno in aliud seculum procedentem. talibus et consimilibus mendaciis populum seducentes et ad ritus gentilium reuocantes*". Haec antiquissima persuasio, qualem loci et ex hoc diplomate et e Dusburgio exscripti probant, fere eadem est, quae apud gentes Germanicas fabnla continetur de exercitu furibundo (*wildes* seu *wüthendes Heer*). Consistit ille exercitus, ut mythologi nostri [13]) docent, animis defunctorum, quae Wodano duce saevo impetu per aëra feruntur. — Praeter fabellas, quae etiam apud Sambienses de exercitu furibundo vigent [14]), aliae quoque reliquiae eiusmodi persuasionum apud Prutenos et in vocabulis quibusdam, quae originem e gentilitate eorum habere videntur [15]), et in nu-

---

[11]) Cum Dregero (Cod. Dipl. Pomer. n. 191) legerim: „ne tormentorum infernalinm pena premerentur".

[12]) De vi nisi, avis rapacis, in universa mythologia inde ab Aegyptiis vid. Schwenck, Myth. der Slaweu p. 38, Grimm, Myth. 640, Eckermann, Myth. p. 140. Nostro loco quid nisus sibi velit, Dusburgins docet, e quo supra retulimus, mortuos in eadem fore vitae conditione, qua viventes; itaque cum iis inter alia equos, canes venaticos, aves rapaces, i. e. aves venaticas, arma, uri solita esse. Quibus rebus homo vivus gavisus erat, iis ipsis post mortem utitur, uti etiam Germanorum furenti venatori canes veuatici attribuuntur.

[13]) Videantur inter alios libros Iac. Grimmii Mythol. et Maunhardtii mythi germanici, diversis locis de hac re disputantium.

[14]) F. R. Rensch, Sagen des Samlandes, ed. II. p. 47.

[15]) Eiusmodi vocabula suut Prutenorum Pikullus seu Picnllns, Lituanorum Wélnas seu Welínas. Pikullum primarium inter deos infernos fuisse nostris temporibns constans opinio est. Sed vereor, ne e numero deorum Prutenicorum omnino extrudendus sit. Nam hoc nomen nihil significat nisi sedem sceleratorum, qualem religio Christiana esse docet. Sed utut de Pikullo, quem Grunovins bene ignorat, iudicandum est, illi omnes certe falsissime iudicant, qui eum pro eodem habent, qnem Patnllum nominant. Nullum etenim prorsus argumeutum proferre potest, Piknllum quondam apnd Prutenos, saltem qui ab orieutalibus regionibus huius gentis remotiores vivebant, deum esse cultum, aut loco qnodam terrarum memoriam eius servatam. Iu Catechism. Pruten. pickuls est diabolus, picknllis, genit., orcus (Hölle); Lituan. péklà. Quae prolatae snnt etymologiae (uti a piktas, i. e. malus, vel a pykty, i. e. irasci) eae omnes a re abire

tricularum narratiunculis de pumilionibus inveniuntur. De quo genere pauca proferemus.

Vulgata apud viros doctos, qui ei rei operam dederunt, opinio est, fabulas illas notissimas de homunculis terrestribus sive pumilionibus (apud nostrates *Erdmännlein)* ita interpretandas esse, ut illi parvuli circumerrantes mortuorum animae sint habendi, qui aut iuvantes aut nocentes vivis hominibus immineant. Etiam in hisce regionibus satis multae in ore puerorum sunt fabulae de illis homunculis subterraneis, quos Germanice *Untererdsche* nominant. Apud Lituanos notissimi sunt *Kaukai* illi lemures palmares, de quibus satis multae circumferuntur narratiunculae [16]). Apud Prutenos haud dubie *Kukai* appellabantur, qui quam fuerint nóti, vel inde apparet, quod non pauca loca ab iis accepere nomen [17]). Unum eorum satis memorabile est: „*Cucunbrast*“, quod designat „*Kukarum vadum*“ [18]), quo probatur, non a Prutenorum

---

videntur; sine dubio vox descendit a pikkis, l. e. pix; quod iam inde probatur, quae Iac. Grimmius (Myth. p. 765) de piceo averno, de piceo barathro, de Germanico pech l. e. Hölle (zi des pebbes pilohhe l. e. ad orci domus. Docen. Misc. I. 505), de Graeco πίσσᾳ, Polonico pieklo, al. attulit. Notio est contigua cum Polon. piec, i. e. fornax. Itaque et notionem et nomen doctrina Christiana ab igne, quo scelerati damnatique crucientur, sumpsisse videtur. Inveniuntur in Catalogo Sambiensium Poclus sive Pocklus sive Pecols (i. e. deus inferni et tenebrarum sive Pluto) atque Poccollus sive Pocols (i. e. deus aëriorum spirituum sive Furiae). Quamquam parum de nomine huius dei vel horum deorum (seu Pakulli seu Pekulli seu Pokulli; nam revera idem numen esse non dubitamus, quod propter variam scripturam in plures deos, sive incuria sive ignoratione, discerptum sit) constare videtur, tamen eius interpretationem ad Pikullum pertinere apparet. Quum autem Patullus, cuius nomen in Catalogo Samb. omnino omittitur, re vera sit deus mortuorum, quam facile erat nomen Pikulli, l. e. orci, confundi cum nomine Patulli. Itaque factum est, ut, nulla ratione etymologiae utriusque vocabuli prorsus diversae babita, utrumque nomen idem significare putaretur. Iam Hennenbergerus (1595), fortasse primus, habet „Pickollos oder Potollos“, et ita inde ad nostra tempora omnes historici scripsere. — Wélnas Lituanis est diabolus, quod vocabulum deducunt a deo animarum Wielona, qui etiam apud Samagitas colebatur.

16) Plures earum passim editae sunt in: Preuss. Provinz. Blätter.

17) Uti sunt apud Lituanos Kaukênai (Kaukehnen), apud Prutenos Kuckendorf (Kokendorf). Pertinet huc quoque nomen oppidi Mehlsack, prutenice Malcekuke. Quum Prutenice malko (Lit. málka) significet lignum, hoc nomen interpretari liceat „pumilionem silvestrem“.

18) Huic nomini vim: „parvulorum transitus in flumine“ tribuimus, qua significatione ultro in mentem venit carminis Kopischiani: „Der Kleinen Ueberfahrt“. Nostrum „pumilionum vadum (Kukun brasta)“ posterioribus temporibus transmutatum est in „Diaboli vadum“. Religione igitur Christiana propagata Kukai gentilium, cuius rei etiam alia

persuasione abhoruisse, transitum animarum in orcum in flumine quodam fieri, uti Graecorum et Germanorum mythologia habet. Universo autem illo parvulorum genere (ad quos Germanorum *Elbe*, *Heinchen*, *Zwerge*, al., iique, qui interdum etiam formas ranarum bufonumque[19]) non reformidant, Prutenorum *Kukai*, pertinent, quorumque nomen genuinum et generale apud Prutenos nobis traditum est *Parstuk* sive *Perstuk*[20]) nihil nisi animas mortuorum contentas esse cognoscimus, quam opinionem praeter Graecos Germanosque etiam Celtarum, Iraniorum, Indorumque gentes amplectebantur[21]).

Iam aggredimur ad Grunovii doctrinam de religione Prutenica critice tractandam. Grunovii aetate multa de origine gentis et religionis Prutenicae, de nominibus atque vi deorum, deque ratione, quae inter deos hominesque intercederet, circumlata esse videntur, quae omnia in quandam disciplinam redacta ab illo scriptore tradita nobis sunt et servata.

---

in promptu sunt exempla, in inferiorem ordinem diaboli detrusi sunt. Etenim in diplomate quodam anni 1251 (v. Cod. dipl. Warm. I p. 48) legitur: „vsque ad vadum Serie, qui Cucke ab indigenis nominatur" et anni 1254 (p. 63): „a vado qui dicitur Chucunbrasch", quod antiqua quaedam tabula geogr. interpretatur: „Kuke oder Chucumbrast, of Deutsch desz Teufels durchfahrt" v. ibid. Kukun gen. plur. est, ut grekun a grikas in Catech. Pruten.; brasta hodieque Lituanis est vadum. Kaukas proprie apud Lituanos significat eam radicem, quam veteres mandragoram appellavere, nostrates Alraun, quae propter miram formam tanquam humana specie induta cogitabatur suumque in mythologia Germanicarum vicinarumque gentium habet locum. Praeterea Kaukas hodieque homunculum subterraneum denotat, itidemque infantem mortuum non baptizatum, quae notio contigua est cum diaboli parvuli. Simili modo a Lituanis Wélnas, diabolus, deminuitur in Weinúksztis, i. e. diabolus parvulus sive campester, Feldteufel, mażas wélnúksztis est infans ante baptismum defunctus. Etiam Sambiensium fabellae narrant, infantes in partu necatos esse diaboli. Cf. Reusch, Sagen des Saml. p. 92. — Animas infantulorum non baptizatorum ex opinione Germanorum aut specie igniculorum erraticorum cogitatas esse aut catervatim strepentem et saevientem Wodani exercitum formantes, Iac. Grimmius uberius docet mythol. p. 870 seqq.

19) Et quidem non tantum apud Germanos; etiam in fabellis Sambiensium homunculi subterranei interdum forma bufonum induti apparent. v. Reusch, l. c. p. 17 „Unterirdschchen als Kröte".

20) A Lituan. pirsztas i. e. digitus; itaque idem denotat quod δάκτυλος, Däumling. Cf. Grimm, Myth. p. 419. Parstucarum nomen in narratiunculis hic illic obvenit, neque deest in Catalogo Samb.

21) De hac universa re cf. Mannhardt l. c. p. 356. 723. al.

Grunovianis traditionibus quae continentur, ea in hunc fere modum Latine referri possunt:

Gentem Gothicam, ille narrat, Lombardia decedere per Narsen coactam emigrasse tandemque ad Cimbriam venisse. Inter gentem Cimbricam duos dominatores fuisse, pro regibus habitos, Brutenum et Widowutum[22]) nominatos. Hos cum nobilitate consilium iniisse, quid faciendum esset, num servi fieri mallent, qui nati domini essent, an terra decedere. Brutenum nomine suorum omnipotentium deorum suasisse, ut Cimbriam relinquerent. Ipsos alibi potentiores esse futuros, quam domi. Navigasse igitur omnes per mare Cronium perque aquam Heillibo (i. e. mare recens) atque terram Vlmiganeam occupasse. Ita Scandinavios ex Cimbria profectos dominos factos esse Vlmiganeae, Gothos autem inde Cimbriam incoluisse, ubi ex nomine principis urbem capitalem appellatam esse Wisbuam, terramque ipsam Gothiam. Brutenum fratremque, postquam pleraque castra fundassent, melle invento potum incolis suavem parasse, quum antea lacte coacto vescerentur. Ita gentem, quam novi advenae subiecissent, hosque ipsos ebriosiores insanioresque evasisse paulatimque exstitisse crudeles bellatores. Vlmiganeae terrae indigenas eo usque tributarios fuisse Masoviis. Cimbros autem nulli alii domino servire voluisse, quam quos secum attulissent. Igitur convenisse in consilium, ut regem sibi eligerent. Electum esse Brutenum; sed repudiasse eam dignitatem, quia servitio deorum omnipotentium sese dicasset; sed esse fratrem Widowutum, virum fortissimum; eum sibi sumerent regem; illum probe regnaturum esse; se iis fore nunctium suorum deorum; quod a diis auditurus esset, id se nunctiaturum esse; ita se maiori solatio iis futurum, sanctos deos venerantem, quam armis pugnantem. Consensisse omnes atque suo more Widowutum regem coronasse; a rege autem universaque gente Brutenum concessum esse summum dominum nominatumque Crywo Cyrwaito (alii Criwe Criweito, alii aliter), id esse „*nostrum dominum post deum (das ist vnser herre nach Gotthe)*, sine cuius voluntate se nihil facturos esse, eique obedituros sicut diis

---

[22]) Apud Grunovium casus nominativus horum similiumque nominum (uti Patulli, al.) exit in o: Bruteno, Widewuto, Patullo, al. Ceterum in scriptione horum aliorumque nominum non constans est; alii etiam aliter scribunt.

ipsis. Terram ipsorum tunc nominatam Bruteniam, constitutumque, ne cui servirent neve sacrificarent nisi suis diis. Tum Brutenum sibi suisque diis separatum domicilium condidisse. Deos fuisse tres Patollum, Patrimpum, Perkunum. Stetisse eos in quercu quadam sex ulnas crassa. Idque domicilium Crywonis cum omnibus suis Waidelottis, id esse sacerdotibus, appellatum esse Rickeyto. Widowutum sibi exstruxisse arcem, beneque regnasse ac fere XII filios habuisse. Postea inter hos terram divisam; partem eius quamque nomen a domino suo accepisse. Anno quodam Brutenos cum Widowuto rege suo et Bruteno Crywone Cyrwaitone convenisse Honedam, ibique factas esse constitutiones Brutenicas de diis et quomodo inter se pacifice viverent. Primum, ne quis iniussu Crywonis coleret deos, aliundeve aliquem deum in terram arcesseret, sed ut supremi dii essent Patollus, Patrimpus, Perkunus, nam hos ipsis dedisse terram hominesque atque in posterum daturos. — Secundum, ut Crywonem Cyrwaitonem profiterentur supremum dominum eiusque posteros, si dii darent[23]). — Tertium, ut metum et obedientiam deberent sanctis diis et Crywoni, quia dii homines post hanc vitam aut praemiis aut poenis afficerent[24]). — Reliqua statuta omittimus, itemque quasdam alias, quae sequentibus foliis referuntur, narratiunculas. Tum narrat Grunovius exitum Bruteni et Widowuti. Heroum more illos, senes factos, sese ipsos suis diis ante quercum Rickeytonicam immolasse, oratione habita in rogo sese comburentes. Ubicunque locorum quum id innotuisset, imagines eorum in honore habitas, ipsosque mutatis nominibus cultos esse deos, regem nominatum esse

---

[23]) Crywonem, tamquam pontificem maximum, etiam super reges auctoritate excelluisse, ex Dusburgio iam vidimus. Haereditario quodammodo munere eum functum esse, idem Dusb. indicat verbis: „vel aliquis de sanguine suo".

[24]) Quam quae de hac re opinabantur omnia ad sensus voluptatemque relata fuerint, videndum est ex his quae Grunovius ita tradit: wen sie vns nach diesem leben werden geben schone weiber, viele Kinder, susse getrencke, gutte speise, jm sommer weisze Kleid, jm winter Warme Röcke vnd werden sloffen auff grossen weichen betten, vnd werden von gesundtheit sehr lachin vnd springen, den bozen, die sie nit wulden ehren, sie wurden hinnemen, was sie hetten vnd dortt sehr quelen mit peinen.

Worskaitum (sive Borskaitum), Cyrwaitonem Iszwambratum (sive Szwaibratum).

Tertius chronicorum Grunovianorum tractatus agit de cultu deorum fictorum apud Prutenos detestabili, deque superstitionibus Grunovii etiam temporibus vigentibus, de sacerdotibus Waidelottis et viris et feminis (*Waidlen* eos nominat, quum narrat, se eos etiam vidisse atque cum iis egisse), de cultu serpentum, ignis, arborum (imprimis quercuum), fruticum (imprimis sambuci). Porro scriptor disputat de nominibus deorum fictorum. Ab initio indigenas terrae Prutenicae nec de deo nec de diis aliquid scivisse, nedum eos coluisse. Quum autem Cimbri venissent, eos secum asportasse tres imagines deorum suorum, quorum unum nominasse Patollum, alterum Patrimpum, tertium Perkunum. Hos colere tamquam omnipotentes deos coactos esse indigenas. Patullum fuisse supremum Brutenorum deum, terribilem deum, qui nocturno tempore loca lemurum more infesta redidisset; ..... fuisse etiam deum mortuorum; relq. Imaginem stitisse senis cum barba cana. Signum additum esse capitis mortui. — Patrimpum fuisse deum fortunae in pugna et in aliis rebus. In eius honorem infantulos mactatos. Etiam Patullum cruore humano laetatum esse. Fictum fuisse ut iuvenem laetum, imberbem. Signo serpentis praeditum fuisse. Perkunum invocari solitum esse tempestatum caussa. Tempore fulminum et tonitruum clamatum esse: *Dewus Perkuno Abselomus* i. e. *Deus Perkune miserere nostri*. Imaginem eius fuisse viri iracundi barba crispa et nigra. Igne perenni insignitum fuisse. Sacrificiis hos tres cultos esse in Rickoyott, ubi imagines in quercu stetissent. — Wurskaito sive Borskaito sacrificari licuisse in omnibus pagis, ubicunque quercus aliqua stetisset. Iuvencas ei immolatas esse, ut pecudes servaret. Etiam Szwaibrato inter deos relato quondam sacrificia ubique ante quercum facta esse. Eum creditum esse tribuere multas galinas, anseres, anates, eique immolatos esse porculos.

Haec quae e Grunovio retulimus ita hucusque recepta sunt atque iterata, ut utraque res, et traductio religionis Prutenicae e regionibus septentrionalibus per Brutenum et Widowutum facta, et doctrina de triade summorum deorum, Patulli, Patrimpi, Perkuni, tamquam fundamentum universae rerum divi-

narum apud Prutenos disciplinae doceatur atque etiam a puerulis nostris in ludis pie discatur. Hae igitur traditiones praeter ceteras critice tractandae sunt.

De migratione gentis unde Grunovius sumpserit materiam non est difficile intellectu. Origo repetenda est a Iornande (De Reb. Getic. c. 4. c. 17), et ipso non admodum bono auctore. Ex Scanzia insula, ille refert, Gothos cum rege suo Berig egressos ad sedes Ulmerugorum, qui tunc Oceani ripas insiderent, venisse; reliq..... Una cum Gothis ex Scanzia emigrasse Gepidas; rel..... Nomen Gepidarum ex vocabulo *gepanta* fluxisse.... Hae traditiones Iornandianae qualiscunque pretii a posterioribus receptae sensimque magis depravatae sunt. Primus scriptorum rerum Prussicarum Dusburgius usus iis esse videtur. „*Multa bella,* ille refert II. 7., *antiquitus gesta sunt contra Pruthenos, ut veteres narrant historici, per Iulium Caesarem, item per IX germanos de Swecia, qui dicebantur Gampti, item per Hugonem dictum Potyre*“.... Nomen Gamptorum e Iornandis *gepanta* male intellecto fluxisse apparet; Ulmerugis Dusburgius abstinet. Sunt autem Ulmerugi (corrupte Ulmigeri, Ulmigani) sine dubio iidem qui Holmrugi i. e. Rugi insulares [25]). Aeneas Sylvius postea Iornande usus est, sed caute et moderate. „*Vlmerigos,* refert Europ. c. 22, *olim hanc terram incoluisse Iordanes tradidit: quo tempore Gothi ab insula Scandinauia in continentem descendere. Qui per Istulam (vt ille ait) Vlmerigorum terras inuasere. Ptolemaeus autem Amaxobios et Alaunos, Venedes ac Githones penes Istulam fluvium habitare affirmat*“.

Erasmus Stella [26]), scriptor propter ubertatem quandam ingenii saepius somnians atque ineptus, cui Grunovius, similitudine quadam ingenii cognatus, libenter insistit, ad has aliasque res uberius tractandas pluribusque exponendas propensus est. Stella igitur ex loco Dusburgii (II. 7) facit „*Suetiae regulos .... qui Ganipoti cognominabantur, quod et ipsi Germani essent....*“ Tanta rerum confusione praevia quid mirum, quod apud Grunovium narratio etiam confusior existat. Nunquam enim locos aliorum sim-

---

25) V. Casp. Zeuss, die Deutschen und die Nachbarstämme. p. 484.

26) Erasmus Stella, Libanothanus, Lipsiae 1470 liberalibus studiis operam dedit; obiit 1521; scripsit libros II de antiquitatibus Borussiae (in Pistorii Polonic. hist. corp. Basil. 1582. Tom. I. p. 7—17). Grunovius eum nominat Erasm. Sterne.

pliciter laudat, sed quasi vir sui iudicii neque ab altero pendens prorsus novum opus contexere studet. Hinc illae criminationes, acsi totus ex fraude et mendacio factus sit. Qua de caussa autem pro Gothis, Iornande teste e Scandinavia ad sedes Ulmerugorum migrantibus, posuerit Cimbricos Scandinavios, non conspicuum est. Ex Dusburgii Hugone Potyre, quem nemo adhuc novit, Stella facit „*Hugonem cognomine Botyrum alias Bructerum, ex Saxonia natum*". Vide, unde Grunovius habeat suum Brutenum; sine dubio Bructerus Stellae transmutatus est in Brutenum, ut nominis similitudo cum Prutenis alliciebat. Ea de caussa iam ante illos Aen. Sylvius Bructeros cum Prutenis coniunxit vel potius confudit [27].

Widowutum autem primus omnium, ut videtur, idem Stella in historiam induxit, ita ut huius quoque criminis, si est crimen, Gruuovius tanquam mendax non sit arguendus. Loco Aen. Sylvii quem iam laudavimus haud dubie innisus Stella non tantum Alanos in historiam Prussicam intexuit, sed etiam Viduutum suum Alanum eiusque filium Litalalanum (a quo Lituani nuncupati!) finxit, quam rem, a scriptoribus Lituanis libenter arreptam, non miramur a Grunovio, cui res occidentalium Prussiae partium cordi fuere, non esse receptam.

Illam migrationem universam num pro vera habeamus, hic non est discernendum. At quum Gothorum gentem, quae antiquissimis temporibus Prussiam inhabitabat, in utraque ora maris et in Scandinavia et in Prussia incoluisse constet [28]), quid mirum, si quis illam ab altera ora in alteram quondam migrasse statuat? Gothosque vero, qui victores hac terra positi essent, quam facile erat dominos fieri eorum, quos in humiliore culturae statu constitutos sibi subiecissent!

---

[27]) Aen. Sylv. Europ. c. 29 (De Westphalia): „Bructeros autem bello victos ab Austro in Aquilonem et Oceanum dilapsos, ob quam rem coniecturam capere possumus hos esse, qui hodie Pruteni appellantur, Aquilonares populi: de quibus supra diximus, facile namque Bructeros in Prutenos sermo conuertit".. Haec nominum similitudo etiam in caussa esse videtur, cur Dusburgius aliique chronicorum scriptores Iul. Caesarem cum Prutenis belligerantem finxerint, quum, etiamsi non Iul. Caesarem, tamen alios Caesares cum Bructeris Germanicis bella gessisse notum sit.

[28]) De antiquissimis Prussiae cultoribus copiosius tractavimus in: Zeitschrift für die Gesch. Ermlands I. p. 15 seqq.

Cetera quae purae simplicique migrationis memoriae sensim addita sunt, pertinent ea ad illud fabularum genus, quos mythos etymologicos et genealogicos liceat dicere, quos quidem mythos potius doctrinae qualicunque posteriorum quam persuasioni gentilium primitivae tribuamus, neque tamen mendaces illos, qui scriptos nobis reliquere, appellemus; nam eiusmodi fabulae ubique locorum et temporum, quum doctrina aliqua etiam inter homines viget, oriri solent. Hoc modo nobis exstitisse Brutenum iam vidimus. Neque Widewutus et filii eius aliam habent originem. Filiorum numerum, quem a Stella acceperat, Grunovius e numero nominibusque singularum Prussiae partium auxit eodem iure, quo Graeci a cognominibus heroibus descendere faciunt singulas ipsorum gentes. Si Stella in praefatione libelli sui praeter historicos, qui de Viduuto suo nihil habent, traditione se usum esse vere confirmat, concludendum est, illum heroa ex ore hominum eum accepisse. Sed haud dubie ipse, vel quisquis ante eum fuit, hoc vocabulum generale non bene sumpsit pro nomine proprio. Significat enim nihil nisi aut *iudicem* aut *sacerdotem*, id quod non difficile est ex etymologia probatu [29]).

Viduutum legislatorem Prutenorum exstitisse filiosque eius auctores nominum Prussiae partium esse factos, iam ante Grunovium idem Stella tradiderat. Quod Grunovius

---

[29]) Widewuti seu Waidewuti vocabulum, quum varie interpretentur, tamen vero non absimile est, denotare eum, qui ducit lites, i. e. qui praeest litibus, eas dirimit, discernit, praefectum vel ducem litium i. e. iudicem. Wàdas Lit. est dux a wedù, duco; waidas lis. Similiter formatum est Waikû wàdas i. e. puerorum dux seu paedagogus; igitur Waidû wàdas litium dux. Etiam Polonice wodz ducem significat, unde wojewoda, belli dux. Num huc pertineat Gothicum veitvôds i. e. testis a verbo veitan, cui inest vis animadvertendi i. e. et videndi et puniendi, vindicandi, in incerto relinquimus. Ceterum iam M. Praetorius, scriptor sec. XVII, Waidewuti vocabulum esse nomen officii atque praefectum litium, i. e. iudicem, designare asserit. — Alia etymologia proficiscitur a radice Prutenica waid, wid, Germ. wissen, eadem haud dubie, quae mater est verbi waidlen, i. e. deorum cultui praeesse, sacrificare; inde Waidelott, quae vox sacerdotem Prutenorum denotat. Waidelott et Waidewut tantum terminatione differunt; ott nihil nisi exitus esse videtur, qualis occurrit in veterum Prutenorum nominibus propriis, ut Ausote, Astiote, Curnoto, Spayrote, Stygots, al. cf. terminationem Lit. ùtas. Num wut idem exitus esse possit, qui wydi, quem Nesselmann (Catech. Prut. p. 78) aliquoties in voculis Prutenicis occurrere ostendit, in dubio relinquimus.

de consecratione Bruteni et Waidewuti post mortem narrat, id cum eo convenit, quod Adamns Bremensis (IV. 26) de Scandinaviis refert. „*Colunt et deos ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant*“. Unde Grunovius nomina illorum heroum post consecrationem habeat, non quidem in promptu est ostendere, sed, sive consilio sive errore ductum, eum vocabula generalis notionis pro nominibus propriis sumpsisse, non est dubium. Nomina Wurskait et Szwaibrat sive Iszwambrat varie quidem explicantur, sed illud *seniorem* sive *presbyterum*, i. e. aut *sacerdotem* aut prorsus summum *gentis praefectum*, hoc *fratrem eius* significare, statuendum erit [30]). Cognomen Wurskaiti bene accomodatum est ad Bruteni sublimem dignitatem sacerdotalem, cuius fratrem vel sanctum fratrem esse Waidewuto satis honorificum fuit. Ceterum haec deductio etiam antehac a scriptoribus pro-

---

[30]) Prut. urs, Lit. obsol. wóras est vetus (ab initio vocabulorum Prutenorum w saepius abest, ubi a Lituanis ponitur, ut ains et wienas i. e. unns, unds et wandu i. e. aqua); comparat. wyrésnis i. e. vetustior, nobiiior; superiat. wyrausas i. e. veterrimus, summus, nobilissimus; wyrésinsis i. e. senior, praefectus; wyrausybe i. e. magistratus, al. cf. jaunas i. e. iuvenis, a quo jaunikis, jaunikaitis. Kaitis frequens etiam terminatio nominum propriorum hodieque apud Lituanos est. A wóras deducit etiam Ostermeier (Krit. Beitrag zur altpr. Rel. Gesch. p. 35) hoc nomen, sed alia via inde proficiscens. — In nomine Szwaybrato sive Iszwambratte (quae sunt formae Grunovianae) de exitu brato constat; significat enim Prutenice fratrem. De initio dubitari potest. Schweuck (Mythol. Slavor. p. 53) deducit a Prut. swais i. e. suus, Lit. sawas. Quod ad praemissam syllabam Is pertinet, cogitari possit de pronom. Lit. iis i. e. is, aut tissai i. e. ipse, ergo Iszwaibrat frater ipse aut eius frater ipse. Eckermann (Lehrb. der Rel. Gesch. IV. p. 102) deducit a szwentas (swints) i. e. sanctus, quod lectioni Szwambrat accommodatum est; ergo: sanctus frater. Ibidem etiam singularis Ostermeieri (l. c. p. 18) commemoratur etymologia: a wiszta i. e. gailina, uti Wurskaiti a werszis i. e. iuvenca, quod idcirco memoratu dignum habuimus, qnod Grunovius mire tradit, illi gallinas, huic invencas sacras fuisse. Ita ludit interdum etymologia; cuius aliud exempium ex Steila proferamus. Qui, quum Viduutum suum Alanum populo suadentem fingit, ut regem sibi sumerent, addit, illum proposuisse apum exempium, quae regem haberent. Cunctos assensisse; „An ergo nobis eris Biotterus, quod ipsorum lingua apum regem significat“. Hanc quoque rem ex etymologia male percepta fluxisse indicandum est. Nimirum bittinis re vera Lit. est regina, vel potius rex apum; sed fortasse nomen Biotteri aliter corruptum est. Kojalowicz (Hist. Lituan. 1650 p. 17), qui eandem rem narrat, habet „Boioteras“; fortasse pro Boiotevas; tewas, taws patrem significat; buttitaws Prut. est paterfamilias. Exstat etiam verbum boju, quod denotat metuo.

bata est, qui Wurskaitos sacerdotes Prutenorum bene norunt[31]).

Iam videndum erit, de triade illa deorum Patulli, Perkuni, Patrimpi quid indicare debeamus; num Grunovius illam disciplinam e suo ingenio prompserit, an aliunde acceperit. Hunc cultum, si eius narrationem sequimur, e Scandinavia arcessitum esse, iudicandum est. Memorabilis est Adami Bremensis (IV. 26) locus de triade deorum in Scandinavia cultorum, quem exscribere libet: „*Nobilissimum illa gens templum habet, quod Ubsola dicitur... In hoc templo... statuas trium deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solium habeat triclinio; hinc et inde locum possident Wodan et Fricco. Quorum significationes eiusmodi sunt: Thor, inquiunt, praesidet in aëre, qui tonitrus et fulmina, ventos ymbresque, serena et fruges gubernat. Alter Wodan, id est furor, bella gerit, hominique ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est Fricco, pacem voluptatemque largiens mortalibus. Cuius etiam simulacrum fingunt ingenti priapo....*“ — Quamquam Grunovius Adamum Bremensem, qui tunc temporis nondum typis exaratus erat (primum prodiit 1579), nunquam auctorem citat, poterat tamen fieri, ut quaedam notitiae, quae in alia chronica transiissent, ad eum perlatae essent[32]). Quod si ita sit, quaeritur, num Grunovius illam Adami Brem. doctrinam ita ad Prutenos transferre potuisset, ut omnes post eum scriptores reciperent eam et amplecterentur, nisi aliqua caussa probabilis subesset, nisi aliquid simile inter illa reperisset, quae de Scandinavia alicubi legisset et quae in Prussia cognovisset. Traditionem antiquam et genuinam de tribus diis in unum coniunctis in Prussia, uti apud alias gentes, viguisse, dolendum est, quod ex aliis testimoniis pro certo demonstrari non potest. At nimium ingenio iudicioque Grunoviano tribui arbitramur, si rem tam per se probabilem, tam in se cohaerentem, eum universam finxisse aut saltem triadem Scandinaviorum, mutatis quae necessaria viderentur, in Prutenorum transmutavisse,

---

31) Ioh. Meletius (De idololatr. vet. Pruss., in Act. Bor. II. p. 402) a. 1551 dicit: „Sacrificulus, quem Vurschayten appellant“. De munere Wurskaiti sacerdotali agit Luc. David (Chron. Pruss. I. p. 88. 101. 103) c. a. 1570. Hoc nomen ei prorsus idem valet, ac Waidelottae. Ita etiam Waissel (Chron. 1590), al.

32) Cf. Töppen, Historiogr. p. 186.

statuerimus. Re vera scriptor eos coniunxit Prutenorum deos, qui sine dubio inter primarios referendi sunt; id quod iam demonstrabimus.

Perkunum, deum tonitrnum, eundem esse cum Adami Brem. deo Thôr seu Donar probare velle, superfluum est, nam de hac re constat[33]). Quod item constat, Germanorum deo Thôr caprum seu hircum (insigne nubis esse volunt mythologi) sacrum fuisse, admonet id cultus hircornm, quo maxime Lituani primarios deos colebant, in quorum numero nominatim Perkunum habent[34]).

De Patrimpo non tam facilis est quaestio; cuius quamvis neque in ullo fere documento ante Grunovium mentio fiat, neque nominibus locorum memoria servata sit, tamen de nomine ipso saltem constat[35]). Accurate igitur perpensis rebus hnc spectantibus Grunovio fidem faciamus necesse est. — Inter deos, qui Adamo Bremensi auctore Scandinaviornm triadem efficiunt, cum solo Friccone, i. e. Freyr, conferendus est Patrimpus. Freyr sive Frô vi atque gloria inter deos maxime Scandinaviorum ita sanctus habebatur, ut nomen eius etiam a Christianis ad summum numen transferretur. Fuit ille deus laetus et laetificans, splendidus, fortunans, pulcherrimus atque sanctus, largiens fecunditatem terrae atque pacem. Ita Patrimpus etiam deus erat fortunae in pugna et aliis rebus (uti in re publica et domestica, in agricultura); iuvenis laetns, imberbis,

---

[33]) Attamen non observari non potest, certum ante Grunovium documentum de Perkuno non exstare, nisi excipias, quod Dusburgius refert tonitrua esse culta. Neque tamen de hoc deo dubitari potest, quum hodieque perkúnas, tonitrus, personae specie indutus atque agens cogitetur; ita perkúnas tonat, ferit, irascitnr, al. Sunt qnoque loca terrarum, quae ab eo nomina accepere, (Cf. Voigt. Hist. Pruss. I. p. 581.). De Perkuno itemque de Slavorum Perun (Pol. piorun) in universum videantur Grimmii, Eckermanni, Schwenckii al. libri de myth. passim tractantes. Cum Pol. piorun conferendum est verb. piorę, i. e. ferio, cf. Schwenck p. 69. Catalogus quoque Sambiensium, qui a Grunovio non pendet, Parcnum seu Pargnum testatur deum tonitruum ac tempestatum.

[34]) Hircorum cultum celeberrimum (Bocksheilignng), qui seculo etiam XVII non omnino apud Sambienses desierat, Grunovius ipse forte coram vidit, primusque de eo refert. Per Perkunum iurare cogebatur, ne sacrificantes proderet. Ioh. Meletius inter alia hoc cultu a Parckno (i. e. Perkuno) pluviam exorari narrat; vid. „Erläut. Preuss.“ V p. 708. De consecratione hirci in universum multi snnt scriptores rerum Prussicarum unde a Grunovio usque ad Hartknochium.

[35]) Nimirum auctores Catalogi Samb. habent praeter Antrimpum, deum maris, Potrimpum, denm fluviorum ac fontium.

redimitus spicis, deus frumenti[36]). Insigne fecunditatis apud veteres aper erat, quem et deo Freyr et deae Freyja sacrum fuisse iam commemoravimus. Mater deorum, quam Aestyi, *„quibus ritus habitusque Suevorum“*, formis aprorum venerabantur, et hac re cum numine, de quo agimus, convenit, et cum Suevorum Terra matre, numine pacis, quietis, fautrice rerum humanarum *(„intervenit rebus hominum“)* cf. Tac. Germ. 40. Quae ita initio deae cuidam tribuebantur, ea postea ad Patrimpum translata esse videmus. Etiam cultum aprorum apud posteros Prutenos non omnino desiisse, vel inde concludere licet, quod de consecratione suum, quae eaedem sunt animalia fecunda, scriptores referunt[37]). Quod Adam. Brem. simulacrum Fricconis fictum esse ingenti priapo refert, id quoque denotare apparet, largiri eum fecunditatem agrorum et pecudum atque voluptatem veneream. Cognationem igitur quandam inter matrem deorum intercedere apparet et numen vel Fricconis vel Friccae, et Patrimpum, quem igitur maxime deum laetum omnis fortunae, imprimis fecunditatis, fuisse contendendum erit[38]). Cum notione fecunditatis

---

[36]) „Uti in re publ. — agricultnra“ et „dens frumenti“ addidimus ex Chron. Lncae David. p. 25 et 34. Quum Patrimpus sit deus fortunae iu pugua, non omnino practermittendum existimamus, uti Odinum armipotentem fuisse, ita Freyjam, tanquam Bellonam, in locis pugnarum apparuisse; utrumque parcm numerum in pugna caesorum sibi sumpsisse. Cf. Grimm. Myth. ed. II. p. 122. 282; Simrock. Myth. ed. II. p. 359.

[37]) Cf. Hartknoch. dissert. p. 178; Alt. u. Neues Pr. p. 174; Eckermann, l. c. p. 69.

[38]) Sed vereor tamen, ne, quum Fricco et Fricca saepissime confundantur, iu universo hoc persuasionum geuere ea, quae aut ad deum aut ad deam eiusdem notionis pertiueant, permixta sint; ita nt facile quis contenderit, Patrimpum potius numen fuisse quoddam femineum quam masculum; potius cum dea Freyja quam cum deo Freyr convenire; aut etiam viragiuem aut imberbem quodammodo ἀνδρογύνην fuisse. Pat-ullus qunm sit „dominus, herus“, Pat-rimpe esse possit „domina, hera“, uxor summi dei, mater deorum, uti Frigga Odini. Ambo nomina nou nisi terminatione differunt; ita fere Freyr seu Frô dominum designat et Freyja seu Frouwa dominam. Patrimpi nomeu etiam certo diplomate nobis *tra*ditum esse, enmque re vera pro numine femineo habendum, cius rei libenter argumeutum arriperem ex diplomate quodam, cuius partem Voigtius (Gesch. Pr. I. p. 587 not. 4) protulit, quum scribit: colentes „Patrimpe“ (nam in e exeunt in lingua Prutenica et Lituana tantummodo nomina feminini generis, quod in ę in accus. Lituani transmutant), nisl revera ibidem legeretur **N**atrimpe, non **P**atrimpe. Num Natrimpe perperam scriptum sit pro Patrimpe, an numeu aliquod adhuc ignotum designet, difficile erit ad iudicandum. Ceterum Patrimpe, uxor Patulli summi dei, mater deorum, quam apta esset ad consociatiouem illam, in qua tertius esset validus atque

cognata est salubritatis. Quod aquis quoque et fontibus vim non solum fecunda omnia reddendi, sed medendi etiam et salutarem inesse, eamque a Prutenis quoque pie cultam esse constat, id non absonum esse videtur a Sambiensium persuasione, Patrimpum esse deum aquarum fluentium[39]. Teste Grunovio serpens imagini Patrimpi attributus erat, quo signo vis huius dei universa bene denotatur. Nam est serpens apud veteres insigne et vigoris naturalis et salubritatis et fortunae[40].

Patullus tandem, qui est primus triadis deorum, cui numini gentium Germanorum respondeat, iamiam in liquido est. Wodanus sive Odinus deorum est pater, supremus deus, dominus vel herus coeli, „horrendus Friccae maritus", invehens equis albis, secum per aëra ducens horrendum agmen spectrorum vel exercitum furibundum, i. e. secum trahens animas mortuorum[41]. Fere eundem esse Patullum iam locis, quos supra protulimus, probatum est. Fuit ille primns summusque omnium deus, cuius nominis significatio est *dominus*[42], terribilis deus mortuorum. Exercitum autem furibundum a persuasione Prutenorum non alienum fuisse, item iam demonstratum est. Quantopere eius dei cultus celeber atque pervulgatus fuerit, testatur id docu-

---

vebemens deus tonans Perkunus! Ordo dierum Mercurii (Wodani, Woenstag, Gudenstag), Iovis (tonantis, Donar, Donnerstag), Veneris (Freyjae, Freitag) deinceps sequentium memoriam horum trium deorum apud Germanos servavit; sed omnes gentes Slavicae Letticaeque (uti Lituani) nomina dierum hebdomadis non a diis mutuatae sunt.

[39]) Hoc etiam in genere aliqnantum Freyja et Patrimpus inter se comparari possunt. Frouwa enim inter deas salubres quoque numerabatur, cf. Grimm. Myth. p. 1101. De ratione, qnam Freyja ad mare habebat, disserit Simrock, Myth. p. 361. 362.

[40]) In fabellis Sambiensinm serpentes ferunt fortunam, divitias, custodiuntqne thesauros. v. Rensch l. c. p. 5, 42, 74.

[41]) Quae omnia ex libris eorum, qui de myth. German. scripserunt, nota sunt. — Monemus obiter Dusburgii loci de equis albis supra prolati.

[42]) Pats sen patis Lit. „maritus, herus", patl „marita, hera"; vocabulum est vetus, Samsk. pati „dominus" (unde cognomen summi dei Brahmâ „Prajâpatis" i. e. creatnrarnm dominns), patnî „domina"; πόσις, πότινα frequens adiectivum dearum, (δεσπότης, δέσποινα, Ποσειδῶν?); potis, potens („diva potens Cypri" Hor.) cf. Goth. faths i. e. dux. — nlas terminatio Lit. est subst. masc.; igitur principalis forma esse videtur Patulas. Simili modo per terminationes usitatas a pats formantur: pat-inas et pat-ele, „mas et femina animalium", al. Wêszpatis, „dominus, dominator", usurpant, quum de deo vel de principe quodam loquuntur.

mentum quoddam memorabile [43]), testantur satis multa loca, quae ab eo nomina accepere [44]).

Patullum igitur, summum omnium deum atque dominum, deum mortuorum, Perkunum, deum tonitruum, atque Patrimpum, deum omnis fortunae, fecunditatis et salubritatis, tres primarios Prutenorum deos Grunovium bono iure habuisse, eosque coniunctos cultos esse docuisse, arbitramur, neque eum tamquam falsarium — vere non ineptum — ea omnia ex ingenio suo sumpsisse. Quam eius doctrina responderit persuasioni aequalium, vel inde apparet, quod eam vulgaris opinio tuita est. Est vetus Adami Brem. scholiasta, qui ad locum supra exscriptum haec habet (p. 134): „*Prope templum est arbor maxima late ramos extendens, semper viridis in hieme et aestate*"; quocum quantopere Grunovius, quum scribit, quercum in Rickeyto et aestate et hieme semper virere, conveniat, nemo non videt. Quum igitur in hac re non Adamo Brem. insistat, sed scholion illud secutus esse videatur, consilio id et iudicio eum fecisse iudicandum erit. Undecunque relationem de quercu sacra apud Rickeyto sive Romowo (nam neque hoc nomen Grunovius ignorat, quum interdum dicat: „*Rickeyto* sive *Romowo*"), quod domicilium erat Criwonis, sumpsit: Dusburgii testimonio constabat, re vera exstitisse certum locum totius cultus divini medium, unde summus sacerdos Criwe omnibus dominaretur, neque minus in universum notus erat cultus arborum. Quod Grunovius plerumque nomine Rickeyto utitur, ne id quidem sine caussa fecisse videtur. *Rickeyto* enim *sedem regiam* vel *principis* denotare vix dubitandum est [45]).

---

43) Partem huius diplomatis anno 1418 dati primus publici iuris fecit Voigtius (Gesch. Preuss. I. p. 587). Nos autem, postquam ex antographo (Fol. C. p. 72 a) a Dr. Meckelburg praefecto arch. Regim. liberalissime nobiscum communicata est, accurate repetemus: „Nam quantam fidem ad deum habuerit (sc. Ordo Teut.), probat primo multiplex et difficilis labor acquisicionis terre prnwsie de qua ab inicio expellende erant et expulsi (!) sunt gentes sernientes demonibns colentes patollum Natrimpe et alia ignominiosa fantasmata" rel. Voigtius legendo erravit; habet: Pacullum, Patrimpe. — De Pacollo igitur nihil est; de Patrimpe adhuc haeremus.

44) Eiusmodi nomina collecta sunt a Voigtio l. c. p. 586, quae tamen non omnia huc pertinent. Quae cum syll. pak incipiunt, aliam originem habeant oportet. Ceterum pákullos, subst. plurale, i. e. stuppa, vulgare Lit. vocabulum est, a pakullu l. e. ferio.

45) Nimirum rikys Prut. est dominus; vetus vocabulum, Samsk. râjan l. c. rex; Lat. rex; Goth. reiks l. e. princeps; Prut. riks est regnum,

Postquam de tribus diis primariis disputatum est, de ceteris qni apnd Grunovinm sunt diis, quid iudicandum arbitremur, videndum est. De nnmero deornm admodum parcus est et cautns, quod non fuisset, si nihil nisi vel mendax vel poëta esset; contra auctores fere aeqnales Catalogi Sambiensium nberrimi sunt in nnminum suorum nominibus. In universum Grunovius non plures quam sex deos habet, quorum quinque nomina, Patulli, Perkuni, Patrimpi, Wurskaiti, Szwaibrati, iam tractata sunt. Sextus solus restat Curcho, qui, quamquam ceteri scriptores non habent, tamen diplomate nostro iam aliquoties landato (anni 1249) magnifice comprobatur. Diplomate autem haec continentur: „*Ydolo quod semel in anno collectis frugibus consueuerunt confingere et pro deo colere. cui nomen Curche imposuerunt. uel aliis diis qui non fecerunt celum et terram quibuscumque nominibus appellentur de cetero non libabunt*“; quocum ea, quae Grunovius de hoc cibariorum deo, cui inter alia primitias frugum comburere veteres solerent, tradit, ita conveniunt, ut ei ipsum diploma non ignotum fuisse arbitremur. Quum in diplomate solus unusque Curcho nominatus sit, eum inter praecipuos deos ab iis tantum gentibns habitum esse opinandum est, quibuscum tum pactum est, nimirum Pomesaniae, Warmiae, Natangiae. A re igitur alicnum non est, quod Grunovius tradit, Curchonem apud oppidum cultum fuisse, quod hodie Heiligenbeil appellatur [46].

Recte igitur iudicatis, inter se comparatis atque coniunctis omnibus de religione Prutenorum, quas e nostris diversis fontibus proposuimus, traditionibus, persuasionem eorum ita comparatam fuisse contendi potest, ut proficiscens a contemplatione naturae rerumque naturalium, per sacerdotes alta atque exculta, opinionem summi dei, omnes res humanas animasque mortuorum regentis, einsque sociorum, motoris tonitruum atque largitoris omnis fortunae, i. e. Patulli, Perkuni, Patrimpi, custodiverit. Cum quibus cetera numina ita connectuntur, ut dignitate sint inferiora, ab illis primariis pendentia, vel accuratiore illarum

---

Reich, rel., quod viri docti iam satis probaverunt; sed de significatione vocab. Romow inter eos non convenit.

[46]) Quae e nominibus locorum de cultu Curchonis colligi possunt, vid. apud Voigt., Gesch. Pr. I. p. 589.

virium distinctione orta, ut Curcho largitor cibariorum, vel ex hominibus post mortem aut in deos relatis aut ad inferos detrusis ficta. Similis persuasionis rerum divinarum ratio apud plerasque gentes observatur, quae summum numen ex virtutibus viribusque praecipuis, quae in eo inesse credebantur, quodammodo diviserint in plures, maxime tres, deos, quibus alii inferiorum ordinum dii, suo quisque loco, adderentur.

Ita religionis Prutenicae certa formula componi potest, non singularis quaedam et a ceterarum gentium opinione disiuncta, sed communi cognationis vinculo cum persuasione consociata, quam populi gentiles dissipati, ex communi principio receptam, suo quisque modo, servaverint et excoluerint vel potius depravaverint.

Corrigendum: p. 17, lin. 30 leg. potiti pro positi.
Leviora errata: leg. p. 3, l. 4 antiquioris; p. 5, l. 25 quidam; p. 13, l. 29 et 30 nuntium; nuntiaturum.

Brunsbergae, impressit C. A. Heyne.